

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CXXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

num diligimus. hanc fecimus gratiam. & dedimus libertatem. ut quidquid ministeriales & homines nostri de rebus suis mobilibus vel immobilibus in Elemosinam pro remedio animarum contulerint eisdem. vel in morte legauerint. in presentiarum & in posterum. tanquam per nos factum. ratum maneat & inconuulsum. Ne autem hec nostre constitutionis gratia. aut per nos. aut per posteros infringi forte valeat. presentem paginam sigillo nostro fecimus confirmari. Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. CC. quinquagesimo nono.



## CXXXVIII.

RUDOLPHI I. MARCHIONIS DONATIO MONASTERIO  
LUCIDÆ VALLIS FACTA.

A N N O M C C L X.

*Ex Gamansii Manuscripto.*

**R**udolphus Dei gratia, Marchio de Baden, omnibus hoc scriptum intuentibus, gestæ rei notitiam atque fidem; cum in officiis charitatis, illis primo loco teneamur obnoxii, a quibus nos cognoscimus secundum carnis propaginem descendisse, seu etiam, a quibus sentimus, nobis beneficia provenisse; Dignum duximus, ea memoriae commendanda, sane volentes ex hoc tam ætati, quæ nunc est, quam posteritati futuræ lucide declarari, quod cum nos ex exequiis bonæ memoriæ

genitricis nostræ Irmengardis contingeret interesse, ad monasterium lucidæ vallis, quod ipsa pura charitate construxerat, & dotaverat, de multimodis patrimonii sui bonis (nostro tamen in his accedente consensu) sedula meditatione recogitavimus, aliquid in his superaddere, quod nostram & ipsius piæ matris salutem videatur augere & ideo curiam nostram sitam prope Ecclesiam in superiori parte villæ Summersheim Argentinensis Diœcesis, quam inhabitat Bertholdus dictus Rysenrich cum ipsius pertinentiis universis, donavimus & assignavimus in perpetuam eleemosynam dicto Monasterio lucidæ vallis, sub ea protectione, quod Abbatissa, & conventus ejusdem loci ter in anno, videlicet in anniversario genitoris nostri HERMANNI *Marchionis de Baden* felicitis Recordationis, item in anniversario piæ rememorationis fratris nostri *Hermann Ducis Austriæ*, faciant conventui specialem consolationem, pro remediis earundem animarum. Præterea census ad summam XIV. Vnciarum Argentin. monetæ, quos habuimus in *Freimersberg*, (a) in parochia Baden, liberaliter donavimus eidem cœnobio, donatione inter vivos & deputavimus ad hoc, ut Conventus ejusdem loci lampadem indefinenter ardentem, diu noctuque juxta tumbam dictorum Patris & Matris nostræ, debeat cum pervigili ministrare. Ad hujus igitur rei perpetuam certitudinem præsentem litteram sigillo nostro fecimus communiri. Datum apud Baden prid. Calend. Martii Anno Domini millesimo, ducentesimo, sexagesimo.

(a) In alio apographo legitur: Feimersberg; sed rectius *Freimersberg*, qui mons monasterio Franciscanorum, nunc existenti, nomen dedit.